



1/2
1/2

2.

3.

4.

5.

1/2

1.

2.



8,
CONTINUATIO
DOCTRINÆ

DE
IDEIS

SUCCINCTIS QUIBUSDAM
OBSERVATIONIBUS ILLU-
STRATÆ

QUAM
PRÆSIDE

P 551
DANIELE MAICHELIO

SS. THEOL. DOCTORE & PROF. EXTR. PHILO-
SOPHIÆ PRIMÆ & RATION. ORDINARIO
FACULT. PHILOS. h. t. DECANO

PRO GRADU MAGISTERII LEGITIME
OBTINENDO

Die XXX. Julii Anno MDCCXXXV.
horis pomeridianis

IN
AUDITORIO PHILOSOPHICO
ÆSTIVO

publice ventilabris
JOH. CHRISTOPHORUS MUTH, Vayhingensis.
Mag. Philof. Candidatus.

Literis JOH. HENR. PHIL. SCHRAMMIL.



11. 1. 15

CONTINUATIO
 DOCTRINAE
 DE
 IDEIS
 SUCCESSIONIS CHRISTIANAE
 OBSERVATIONIBUS ILLU-
 STRATAE
 A
 DANIELE MALCHERIO
 THEOLOGICO DOCTORE & PASTORIS OFFICIO
 IN
 MAG. JOH. HENR. PALL. SCHRAMMII
 AUSTRIACO PHILOSOPHICO
 INSTITUTO
 VOL. I. STORORIIS MITH. Vaypingsis.
 Mag. Joh. Cantabrig.

Jacobi Joh. Henr. Pall. Schrammii
 AUSTRIACO PHILOSOPHICO
 INSTITUTO





PRÆFATIO.

Cum primum de Specimine publico profectum philopocorum exhibendo institutum suum nobis aperiret Præstantissimus Dominus Respondens, mox animum adplicuimus ad concipiendas quasdam de Enthusiasmo Philosophico theses, eo minus forte Lectori benevolo ingratas futuras, quo dignius erat argumento, circa quod illæ occupari videbantur. Postquam autem, quod sub idem tempus conscripsimus, de ideis argumentum, plus spatii occupavit, quam quod unius disputationis arctiores limites capere potuerunt, in mentem venit, prius illud institutum in aliud idque commodius tempus transferre, atque interea illam, quam de ideis jam cepimus, telam ulterius pertexere. Precamur, autem,

) 2

ut

ut benevolus Lector hic identidem recordetur instituti nostri, quod non aliò tendit, quam ut nobilissimam hanc materiam paucis quibusdam observationibus illustremus, easque effundamus in sinum non Eruditorum, queis hic nihil admodum novi nos dixisse, facile concedimus, sed tyronum nostrorum, queis labores hosce nostros haud profus inutiles fore confidimus. Atque ita vale, Lector Benevole, & si quæ minus exasciatè dicta deprehendes, festinanti calamo, cæterisque, queis undique cingimur, negotiis id dabis, ut æquum istorum interpretem te præbeas, nostrisque annuas honestissimis desideriis, queis Academicæ juventutis incrementa, (quod ipsum tamen haud arroganter à nobis dictum existimari, velimus) omnino studio atque ardore promovere, annitimur. Dab. Tub. VII, Kal. Aug. Anno MDCCXXXV.



§. I.

CUm multa sint, subtiliter atque copiosè à Philosophis disputata, tum illa imprimis quæstio, quæ de idearum origine agit, virorum eruditissimorum ingenia graviter exercuit, eorumque imprimis, qui in mutua hic conscenderunt praelia, fortem admodum anticipem, ac dubiam palmam (a) relinquere visâ est. Nos illud hic ante omnia annotamus, in difficillimo hoc argumento longe facilius esse, aliorum sententias destruere, quam adstruere propriam, in qua plana sint omnia atque expedita, & ab omnium difficultatum anfractibus libera. Quod vexatissimum veterum Canonem attinet, quo *nihil esse in intellectu* statuitur, *quod non prius fuerit in sensu*, fatemur equidem Cartesianos, aliosque illorum hactenus sequaces, contra eum argumentis quandoque infirmis, & disputationis cardinem atque scopum neuti-quam ferientibus certasse, ut quando proponunt ideam Dei, quæ sit in intellectu, neuti-quam licet à sensibus profecta; cum nemo Aristotelicorum unquam tam ineptus fuerit atque absurdus, ut Deum immediatè sub sensus cadere, asseruerit; annon verò ab his mediate, accedente scilicet intellectus reflexione, atque illo imprimis actu, qui abstractio dicitur, notitia Dei suam re-

A 3 de ... petat

(a) Patet id imprimis Exemplis Virorum celeberrimorum *Malebranchii & Arnaldi*, de quibus postea adhuc differendi occasio dabitur.

petat originem, id sane, ratione duce, confirmante idem etiam Revelatione, (b) negari haud potest; At vero nihil aliud voluerunt, quam hoc, qui notitiam Dei à Creaturarum speculo, adeoque haecenus quoque à sensibus derivarunt. Fatemur porro, non adeo, uti vulgo quidem existimatur, infestum esse hunc canonem notitiis insitis; quandoquidem hæ, prout communiter intelligi atque explicari solent, cum illo optimè conciliari queunt, uti jam alibi (c) à nobis ostensum. Majori autem cum fundamento contra istius Canonis Universalitatem urgeri putamus perceptiones internas, quas anima de se ipsa deque suis cogitationibus habet; cum enim hæ menti nihil aliud, quam id ipsum, quod intimè atque immediate in & ab ipsa percipitur, notificent, atque hæc adeo iis sibi sui ipsius proximè conscia reddatur; absurdum fuerit, horum originem à sensibus, quomodocunque spectatis, repetere velle. Quod vero rerum, imprimis materialium, ideas attinet, ut silentio præteream, illam specierum ab objectis (d) emanationem, Aristotelicis vulgo tribui solitam, multis iisque maximis laborare difficultatibus, imo absurditatibus quoque, à Viris Eruditis passim observatis; illud præterea notandum, nondum ostensum haecenus fuisse, quomodo objecta materialia motum spirituum animalium in organis sensoriiis excitent, quomodo idem per nervos fluidumque nerveum ad cerebrum vehatur; quomodo ipsa tandem anima illas impressiones in organis sensoriiis, atque ipso etiam cerebro factas recipiat, rerumque, tot & tantarum, tanque miris modis ab ea differentium, imagines demum concipiat. Quod non eò pertinet, ac si propterea canonem ipsum simpliciter negare

(b) Rom. I. v. 20.

(c) In Disput. de Theol. nat. p. 41. sq.

(d) Videatur Author *Hist. Philos. de Ideis* p. 241.

negare velimus, cum eundem in quam plurimis experientia fortiter confirmet; sed ut pateat tantum, eo admissio, magis quidem generaliter, quid in acquirendâ nostrâ cognitione, quam cur & quomodo id peragatur, indicari, adeoque stante illo de idearum origine nondum propterea nobis sufficienter constare.

§. 2.

De Recentiorum systematibus potioribus quid nobis hic videatur, pro instituti ratione breviter dicemus. Notamus itaque primò, nodum non solvere, sed secare *Cartesianos*, ac speciatim illos, qui alias *Occasionalistæ* (e) dici solent, qui ideas à Deo ipso in mente creati statuunt. Hi enim eatenus animam vi aëtrice, sibi Divinitus insita, privant; iidemque perpetua hoc modo statuere miracula (f) tenentur; adeoque à viis Dei simplicissimis recedunt, dum eum perpetuo quasi *ἀπὸ τοῦ πνεύματος* provocant, eumque ad modum agendi supernaturalem identidem adstrictum volunt. II. Neque satisfacit sententiâ MALEBRANCHII, qui novam systematis Cartesiani formam meditatus, ideas rerum

(e) Appellantur isto nomine ex Cartesianis illi, qui occasione volitionum animæ motus physicos in corporibus, & horum occasione sensationes atque ideas in anima à Deo immediatè, produci, asserunt.

(f) Scilicet cum perceptiones istæ nullum habeant in natura animæ fundamentum, sed eidem à Deo immediatè infundantur, hæcenus pro miraculis haberi posse, videntur.

(g) Videatur Tr. ejus de *inquirenda veritate* l. III. c. VI. conferantur & *Acta Eruditorum* ad A. 1684. mens. May. p. 237. ubi ipsum systema plenius recensetur. Authores vero, qui contra MALEBRANCHIUM scripserunt, commemorat clarissimus Author *Hist. Philos. de Ideis* p. 261. sqq. celeb. HOLLMANNUS in *Dissert. de Anima Humanâ sibi ipsi ignota* p. 15. & *summe Rev. D. D. WALCHIUS* in *Lex. Philos.* sub titulo *idea*. B. J. AM. 1710 (1)

rerum non tam à Deo in nobis excitari, sed à nobis in Deo (g) videri, commentus est. Licet enim huic hypothesi à Viro acutissimo sparsim quædam inferantur, quæ habeant aliquid (h) ex Viro, atque scopus etiam illius per se laudabilis sit, qui ad pietatem nutriendam, Creaturarumque rationalium arctiorem intimioremque à Deo dependentiam (i) manifestandam vergit; ipsa tamen sententia, in roto suo complexu spectata, neutiquam vera nobis videtur. Primo enim, quas anima rerum ideas concipit, eas certè sibi proprias habet, in eoque sequitur Ordinem, quem Deus sapientissimè in natura atque ipsius præcipue systematis humani ordinatione posuit, ut adeo à Fanatismo haud procul absit, qui ad visionem idearum in Deo confugere, atque relictis planis & apertis ad abstrusa atque à communi experientia aliena evagari velit. Deinde si anima objecta materialia in Deo videt, aut secundum proprias eorum formalitates illa in Deo videt, aut quatenus in Deo sunt eminenter; prius sine maximâ absurditate dici non potest; posterius verò nec datum est intellectui humano, neque ad rem præsentem sufficit; quandoquidem videmus nos objecta, non uti eorum realitates omnes, depuratis imperfectionibus quibuscunque, in Deo sunt, sed prout sunt objecta talia & talia; videmus enim caballum, ut caballum, canem ut canem, leporem ut leporem, atque ita de cæteris. Atque adeo frustra est MALEBRANCHIUS cum sua extensione intelligibili infinita; quandoquidem hic

(h) Scilicet quod asserenda sit intima Dei cum animabus conjunctio; quod in illo realitatum omnium intelligibilem fons sit atque scaturigo; quod intellectus sit eorum perfectissima ratio, quæ in Deo, tanquam ejus Archetypo est; quodque hinc ultimo veritatis mensura atque fundamentum peti debeat; quæ omnia, aliaque similia, rectissime statuuntur.

(i) Videatur MALEBRANCHIUS ipse l. c.

sermo est de ideis rerum (k) determinatis atque particula-
ribus, quas admittere tenetur Malebranchius, si nos obje-
cta ideasque rerum materialium in Deo videre, velit; at-
qui illas quovis modo à Deo averruncare, studet. Adeoque
patet, ipsum non coherencia statuere, sibi que ipsi, uti in
hypothesibus præcipuè abstrusis fieri solet, quandoque dif-
fentire. Nolumus hic conglomerare plura, à Viris erudi-
tis pridem occupata, neque adducemus etiam argumenta
MALEBRANCHII, refutato haud admodum difficilia, ea-
demque ad ipsum potius conflictum reservanda, III. Quod
ARNALDUM attinet, (l) is quidem in refutando MALE-
BRANCHIO strenuum Athletam sese præstitit, & ipse ta-
men in hoc non minorem Antagonistam (m) expertus. At-
que ille quidem, dum caharybdin evitare voluit, in scyllam
incidit, dum animam objecta externa, eaque materialia
quoque, essentialiter atque immediatè, sine ulla imagine
vel specie sensibili, videre, contendit; quo ipso perceptio-
nes animæ internæ atque immediatæ cum representatio-
nibus rerum extra nos positarum manifestè confunduntur.
IV. Denique maximi ingenii, iudicii que acutissimi Vir,
LEIBNIZIUS, idemque celeberrimus Harmoniæ præsta-
B bilitæ

(k) Conferatur hic omnino ARNALDUS in libro, cui titulus: *des
vrayes & fausses idées*. videantur & *Acta Eruditorum* l. c. p. 240.

(l) Videatur *Autor Historia Philos. de ideis* p. 247. & laudatus HOLL-
MANNUS l. c. p. 6.

(m) De his digna sunt, quæ huc transcribantur verba CLERICI,
qui in *Pneumatologia* Sect. I. c. V. §. 14. *Viri acutissimi*, inquit,
qui hac de re Gallicè magna animorum contentione certarunt, FRAN-
CISCUS MALEBRANCHIUS & ANTONIUS ARNALDUS,
sibi invicem multum negotii facesserunt, & mutuis telis ita confossi ex
eo certamine abierunt, ut uter vicerit, haud facile constet. Certe mul-
tis victores esse, ubi oppugnarunt Adversarium; victi, ubi se contra
irruentem tueri conantur, visi sunt.

bilitate Conditor, cum sequacibus, & animam & corpus sibi res suas seorsim ita habere statuit, ut neutra in alteram verè agat influatque, verum ut, ex legibus Harmoniæ præstabilitæ, certos corporis motus operationes in anima, & has vicissim peculiare in corpore actiones sequantur, eâ quidem ratione, ut anima ideas ex se ipsa evolvat, easdem formatura, rerumque etiam materialium imagines haustura, si vel maximè corpus ab ea abesset. Quæ sententia utcumque ingeniosa, atque à variis etiam, quæ reliqua systemata premunt, difficultatibus libera, suisque etiam peculiaribus quibusdam (*) prærogativis, dummodo cætera paria sint, prædita, ex aliis tamen respectibus, novis quibusdam dubiis, iisque haud levibus, obnoxia videtur. Primò constat, Deum pro sua sapientia nihil facere frustra. Jam cum anima sit corpori unita, atque in hoc, uti reliqua omnia, ita illa inprimis organa, quæ sensibus inserviunt, tam ordinatè atque concinne, tamque stupendo plane artificio, contexta atque ordinata sint, verisimile non est, ea ad mentis ideas, atque rerum inprimis materialium perceptiones, nihil realis operæ conferre. (**). Secundo fatentur omnes

(*) Cum non ex instituto de Harmonia præstabilita in toto ejus complexu agamus, nihil attinet hic in omnia specialia descendere; Conf. tamen Authores, de hoc systemate passim prostantes, inprimis LEIBNIZIUM ipsum in *Monadologia*, & in iis, quæ Diario Gallico *Journal des Scavans*, ad an. 1695. mens. Jun. & Jul. inseruit.

(**) Addimus his observationem Viri Celeberrimi, Dn. HOLLMANNI, qui in *Inst. Philof. & speciatim in Pnevm.* c. II. §. 88. Quoniam, inquit, in Harmonia præstabilita systemate perceptiones sequentes ex ante cedentibus fluunt, adeoque, quando diverse in nobis representationes sunt, quæ nihil inter se commune habent, illæ ex diversis perceptionum seriebus, intercedentibus ideis quibusdam obscuris derivanda sunt, maximisque adeo ambiguis opus fuisse, diversissimas illas perceptionum series non solum in ipsa anima essentia præstabilire, sed illa-

omnes, animam præcisè videre, non corpus; jam qui sit ergo, ut cæcus nullas percipiat colorum imagines? sine dubio quia visu destituitur; itaque opus est, ut quædam sit organorum ad perceptiones eò pertinentes habitudo; licet, quomodo ista omnia peragantur, specialius nobis enarrare, non liceat. Tertio duorum horologiorum (hoc enim simili in præsentì materia Leibnizius ipse cum sequacibus utitur) ea quidem ratio est, ut si, præsupposita harmonia, unius ad alterum habitudo deficiat, alterum tamen propterea in suo cursu haud impediatur, sed in eodem potius pèrgat, horarumque indicia, nisi & in ipso intrinseca quædam mutatio obyeniât, adcuratè prosequatur; at verò destructis organis sensoriis, vel læso cerebro, ipsas animæ operationes atque repræsentationes turbari, vel plane intercipi, constat. Denique Harmoniæ præstabilitæ Authores systema ulterius extendunt, quam ipsa necessitas poscere, videbatur; si enim hos audias, anima easdem rerum materialium perceptiones habitura esset, si vel maxime à corpore abesset; qua sententia stante, non modo *influxus* negabitur, verum etiam illa, quæ in corpore alias prærequiri statuuntur, nequidem amplius habebunt rationem *conditionis sine qua non*; adeoque cadet etiam ipsa definitio animæ, quam dat LEIBNIZIUS cum Sociis, quod sit *substantia huius Universi representativa, pro situ corporis Organici*. Mittimus plura alia, quæ fusè hic dici possent, alio forsân tempore uberius exponenda. V. Postremò, quod

B 2

ipsum

rum etiam cum moribus sensuum in minimis quibuscunque temporis articulis consensum perpetuum atque constantem producere: in systemate influxus vero anima & in representationibus ipsis illarumque successione, & in representationis tempore, ab objectis externis, extra nos verè existentibus, atque in organa sensoria agentibus, solum determinatur, qua via longe brevior, magisque naturæ simplicitati conveniens est; probabitur etiam priori posterius hoc, hæc in parte, esse videtur.

ipsum systema influxus (quo quid intelligatur, jam in vulgus notum est) concernit, de eo, quantum ad præsens institutum attinet, id tantum notamus, ne illo quidem stante de idearum origine nobis sufficienter constare; cum, qui illum communiter afferunt, simul tamen, nobis hujus influxus modum neutiquam perspectum esse, fateantur. Jam verò cum Philosophia sit scientia rationum, eademque proinde, si munere suo dextrè fungi velit, ostendere teneatur, non tantum quod aliquid existat, vel possibile sit, sed cur & quomodo sit, vel esse possit, cur ita & non aliter; hanc vero de influxu scientiam se habere, negent ejus Patroni, his proinde, eo licet posito, in explicanda distinctè demonstrandaque idearum origine, aquam pariter hære, haud difficulter perspicitur.

§. 3.

Quod si ergo dicere velimus, quod res est, diffiteri forsan haud poterimus, pertinere hanc de idearum origine materiam ad mysteria naturæ, cum nondum nobis, uti jam in præcedentibus monuimus, sufficientia competant data, queis hæc quæstio distinctè atque plenè evolvatur. Animam quidem vi cogitandi sibi insita præditam esse, ultro largimur; totum etiam suppositum, h. e. hominem sentire, atque in ipsa imprimis anima rerum sensibilibium & materialium ideas extare, neque nullas hic esse sensuum partes, firmiter nobis persuasum est; at quomodo istæ oriuntur, cum ipsa anima nec se ipsam, nec sui cum corpore speciales nexuses, neque eorum, quæ in hoc peraguntur, rationes intimas atque progressus, neque objectorum denique foris ambientium cum toto systemate humano relationes atque habitudines plene intelligat, mirum non est, si eadem in ipsa idearum origine distinctius pleniusque evolvenda edisserendaque tot undique scopulos totque difficultatum anfractus deprehendat,

dat, & de re quidem melius, quam ejus modo constare ipsi videatur. Unde etiam CLERICUS (n) ad *errorem* hic suum refugium sumere, consultius judicavit, eandem ignorantiae anchoram & aliis (o) passim arripere, visis.

§. 4.

Ufus vero hujus observationis haud plane nullus nobis videri debet. Primo enim hinc firmiter docemur, nos non esse nostri Authores, ut qui eorum etiam, quae intimè in nobis peraguntur, & in quibus naturae humanae dignitas atque excellentia alias cernitur, tanta tamen adhuc ignorantia, veluti nube quâdam, nos tectos deprehendimus. Atque ita etiam haec ipsa cognitionis nostrae limitatio atque imperfectio investigandae supremi Numinis existentiae (p) quodammodo velificatur, quemadmodum & illa, quae in tota systematis humani ordinatione tam pulchra & eximia atque admiranda plane adparent, eidem quoque, ut & perfectionibus Dei eruendis contemplandisque, egregiè inferviunt. Secundo eadem consideratio nobis inspirare potest humilitatem (q) atque modestiam, ne illa, qua excellere nos putamus, rerum cognitione superbiamus, utpote quam arctis adeo limitibus circumscriptam, re ipsa abunde satis convincimur. Tertio hinc quoque praeparamur ad submissionem animi, humilemque fidei assensum eo promptius testificandum mysteriis summis, quae Religio Christiana docet, atque

B 3

que

(n) In *Pneumatologia* Sect. I. c. V. §. 15. p. m. 39.

(o) Huc pertinet imprimis Philosophus eximius D. HOLLMANNUS in Dissertationibus jam saepius laudatis de *Anima humana sibi ipsi ignota*, ubi sane ipsa humanae ignorantiae declaratione magnum eruditionis adparatum ostendit.

(p) Conf. disp. praecedentem, quam de hoc argumento edidimus p. 6.

(q) Huc pertinet, quod in hac ipsa materia ait BÉLIUS in *Novis Repl. Lit. ad an. 1684. mens. April. Cete dispute nous montre, que la manière, dont nous connoissons les objets, est inexplicable, & peut nous faire de grandes leçons d'humilité.*

que ad compescendam inprimis indomitæ mentis insolentiam, quâ multi sanctissimas altissimasque in Revelatione contentas veritates fastidiunt, imò risui quandoque exponere, audent, non aliam ob rationem, quam quia in his consecutionum nexus rationesque positivas non perspiciunt; cum tamen in natura ipsa, atque in iis quoque, quæ in nobis ipsis peraguntur, tot & tanta se offerant, quorum mutuas habitudines, origines item atque recessus intimiores vel ipsis hifce incredulis nondum hactenus penetrare datum, licet de rebus ipsis cæteroquin earumque existentia nulla ipsis dubitandi occasio superfit. (r)

§. 5.

Ideæ, si ex objecto astimentur, dividi solent à quamplurimis in substantias, modos, & relationes; ab aliis in res, modos, & res modificatas; de quibus adeas, velimus systemata (s) passim prostantia. Nos hic sequentia breviter annotamus. I. Nodum in scirpo quærere nobis videntur, qui substantias rerum nos simpliciter latere volunt, vel ad subjectum quoddam ignotum, cui attributa competunt, (t) confugere hic videntur. Oritur vero hæc confusio ex abusu Abstractionis, quâ vaga substantiæ idea consideratur tantquam tertium quid, à rebus ipsis, quæ ad eandem essentialiter pertinent, distinctum; cum tamen harum complexus, cum suis omnimodis determinationibus spectatus, re ipsa nobis præstet atque exhibeat id, quod nos substantiam dicimus. Ita Homo est substantia, eademque completa, adeo-

(r) Vide omnino Diff. cit. de *Anima humana sibi ipsi ignotâ* Sect. V. §. 4.

(s) Confer inprimis HEINECCII *Elementa Philosophiæ rationalis* P. I. c. II. Sect. II. §. 30. p. 80. & *Authorem Artis cogitandi* Part. I. c. II. p. m. 13.

(t) Digna est, quæ hic conferatur ISAACI WATTSSII Authoris Angli *Logica*, patrio idiomate conscripta, p. 13. ubi & contra LOCKIUM nonnulla judiciosè disputantur.

adeoque suppositum quoddam. Jam tolle tantisper animam, tolle corpus; ubi, quæsumus, tum manebit substantia ipsa? Itaque realis humanæ naturæ substantialitas, vel suppositivitas ex partium constitutarum unione, ultimo existendi actu terminata, resultat; neque hic opus est, perfectionem aliquam superadditam, vel subjectum quoddam ignotum, ab illis partibus essentialibus, distinguere, confingere. II. Quando substantia vulgò definiri solet, quod sit Ens per se subsistens; operæ pretium fuerit, probe attendere, & per se subsistere, dupliciter sumi, primò, prout dicit independentiam ab alio, tanquam à causa; secundò, prout dicit independentiam ab alio, tanquam à subjecto; priori sensu non datur nisi unica substantia, (u) hoc est, DEus absolutissimè independens; posteriori autem modo opponitur accidenti, cuius totum esse, si terminis Scholasticis uti liceat, est inesse. III. Substantiæ communiter dividi solent in Spiritus & Corpora; sed minus adcuratè; rectius in substantias materiales & immateriales, quæ posteriores & Spiritus *uall' èξοχη*, & alias substantias simplices sub se complectuntur. Orta autem est prioris divisionis inadæquatio, quod termino negativo, *immaterialis*, substitutus fuit *positivus*, priori haud plane æquipollens; in quo contra genuinæ divisionis (x) leges pecca-

(v) Si itaque nihil aliud, quam hoc, voluisset SPINOZA, nihil sane esset, quod in ejus systemate reprehendi posset, at longe aliud quid ipsum docuisse, notius est, quàm ut probatione hic aliquà indigere videatur. De quo alibi pluribus atque ex instituto.

(x) Dignissima est observatio Dn. de CROUSAZ, cui locum hic demus. Is veid in Logica P. IV. c. 3. §. 3. ait: *Pour faire une division exacte, il faut que l'un des membres soit positif, & l'autre negatif, qui declare simplement ce que l'un des membres de la division n'est pas, sans aprenare ce qu'il est, pour subdiviser, dis-je, ce membre en de nouvelles especes, il est necessaire, de changer son nom, de negatif en positif, on doit bien prendre garde, en faisant ce chan-*

peccatum, quilibet facile intelligit. IV. Modus non sumitur in omnimoda præcisione, si pro Synonymo Accidentis reputetur; cum dentur modi, qui non sunt Accidentia, quod Exemplis affectionum Entis generalissimorum, atque ipsorum adeo attributorum Divinorum patet. V. Plurimum tamen refert, ut modi, tum abstractissimè sumti, tum strictius etiam pro accidentibus accepti, rite intelligantur, atque horum in primis à substantiis criteria perspecta habeantur; dedimus hujus moniti specimina in Dissertationibus (y) reliquis, quas eodem tempore in publicum prodire passi fuimus, quò brevitatis studio Lectores cum bonâ ipsorum gratia remittimus. VI. Nihil attinet modis contradistinguere relationes; cum hæc potius ad illos pertineant, eorumque distinctam quandam classem constituent.

§. 6.

Eodem etiam objecti respectu ideæ sunt vel simplices vel compositæ. Illæ communiter definiuntur ab Authoribus, quod sint ejusmodi representationes, in quibus ne mente quidem plura distinguere possumus; hæc verò, in

gement, de ne toucher point à l'étendue de ce terme, & de la laisser toute entière. On negligeroit cette règle, & par là on tomberoit dans l'erreur, si, par exemple, l'on changeoit le nom de figure non rectiligne, en celui de cercle, ou que l'on divisoit les figures courbes non circulaires en trois espèces simplement, l'Ellipse, l'hyperbole, & la Parabole. Confer & retro P. I. Sect. II. c. IV. §. 5. ubi hoc ipsum, de quo hic quaestio est, exemplum affert: Ainsi encore, quand je dis, que la substance est étendue, ou non étendue, je n'omets rien, mais si j'ajoute, que la non étendue c'est Dieu, ou l'Âme humaine, ou les intelligences semblables à notre Âme, il se peut, que les substances non étendues se puissent & se doivent ranger sous un plus grand nombre de classes. &c. Adde & Viri Illustris, Dn. BULFINGERI Dilucidationes Sect. I. c. V. §. 110. p. 102.

(y) Confer stamina nostra Theol. Naturalis p. 56, & Disput. nostram de Homine Nominali & reali p. 7.

quibus plura distingui, & seorsim intelligi possunt. (z)
 Ad priorem classem referuntur tum illæ ideæ, quas ex oc-
 casione sensuum habemus, quales sunt ideæ colorum, so-
 norum, saporum &c. tum plurimæ etiam, quas mens no-
 stra, sine sensuum ope, attentione in se ipsam conversa
 haurit atque percipit, quò pertinent ideæ cogitationis, volitio-
 nis &c. Idearum vero compositarum exempla tum corpora,
 tum virtutes atque habitus morales, uno verbo, illa omnia
 præbent, in quibus plura distinguere valemus. Hic verò
 notes velim, primò cavendum ne hic diversis Authorum lo-
 cutionibus atque *παιδείας λεγόντων* confundi te patiare. Aliis
 enim ideæ simplices sunt illæ omnes, quæ repræsentant
 objecta, in quibus, præter varios apprehendendi modos at-
 que formalitates diversas, nullus cæterò quin, antecederet ad
 illam mentis operationem, distinctioni locus relinquatur;
 quo sensu Ens ejusque attributa communissima, itemque
 attributa Divina quoque inter ideas simplices, imò simpli-
 cissimas referuntur; Compositæ verò, quæ constant ex par-
 tibus, realiter invicem distinctis; quo sensu homo est idea
 composita, vel, ut aliis loqui placet, complexa, constans
 ex anima & corpore. Alii verò ex Recentioribus ideam
 simplicem appellant præcise illam, quæ solis notis constat;
 complexam vero illam, quæ præter notas alia sive rei in-
 trinseca sive extrinseca complectitur. Hoc sensu notiones
 generum & specierum distinctæ sunt ideæ simplices, eadem
 mox complexæ futuræ, quatenus spectantur ut individua,
 quippe omnimodis suis determinationibus (aa) constantia.
 Hæc præmonere operæ pretium judicavimus, ne diversis
 loquendi formulis, quæ passim in Authorum scriptis occur-
 runt, tyrones confundantur. Secundo in sensationibus
 ipsis, ex. gr. Coloribus, corpus coloratum, à colore ipso
 probe

C

(z) Conferatur hic HEINECCIUS in *Elementis Philosophia rationalis*
 p. 79. & CLERICUS in *Logica* P. I. c. II.
 (aa) Videatur WOLFIUS in *Logica majori Latina* p. 166. sq.

umi-
 lentis
 entia,
 atque
 luri-
 anti,
 celli-
 per-
 Dif-
 ubli-
 cores
 tinet
 illos
 nsti-

 apli-
 Au-
 bus
 , in
 qui-

 asser
 dans
 igne,
 aires
 Con-
 hic
 sub-
 onne,
 ences
 es se
 &c.
 I. Co

 ram



probe distinguas, (bb) oportet; illud dividi potest, adeoque haec idea composita audit, hic vero non; ac proinde idea simplex vocabitur. Tertio, cavendum, ne, quod sensationi deberetur, praeposterè in objectum ipsum (cc) transferatur; quod aequè absurdum foret, ac si, qui acupungitur, dolorem, quem inde percipit, dicere vellet esse in acu. Quarto cum in ideis simplicibus primi significatus nihil dividere vel distinguere nobis liceat, consequitur hinc, neque notas, quibus agnosci, & ab aliis rebus discerni queant, enumerari à nobis posse; adeoque illas ideas quidem claras, sed minus distinctas esse; unde definitiones earum frustra à nobis desiderari, vel fuscipi, (dd) palam est.

§. 7.

Idea porro, si ex gradibus perfectionis astimentur, dividi solent in claras & obscuras, distinctas & confusas, completas & incompletas; adaequatas & inadaequatas; de quibus videantur in primis systemata (ee) Recentiorum. Jam enim in Disputatione praecedenti observavimus, in hoc quidem argumento his, & quidem speciatim LEIBNIZIO cum Affectibus palmam praeter ceteris deberi. Ceterum pro instituti ratione hic quoque sequentia breviter annotamus. I. Ideae clarae nondum arguunt intellectum, quippe & brutis competentes; quamdiu ergo ultra has non assurgit cognitio nostra, intra naturam animalem magis quam rationalem subsistere, videmur. II. Cum perceptiones distinctae sint illae, in quibus naturae rationalis dignatio maxime consistit, ad eas consequendas omni studio atque

(bb) Confer CLERICUS in Log. P. I. c. II. §. 2.

(cc) Vid. CLERICUS I. c. §. 9. 10. & Author Artis cogitandi P. I.

(dd) Vid. HEINECCIUS in Elem. Philos. Rai. p. 79. & 80. & CLERICUS I. c. §. 11.

(ee) Videatur in primis WOLFIUS in Logica Germ. c. I.

atque opera nobis est contendendum, quippe & homine dignas, & vel maximè (ff) Philosopho. III. Cum Logica sit inprimis illa disciplina, quæ perficiendis nostris ideis, viribusque intellectus extendendis directè inserviat, & maximi eam pretii esse, & hac insimul curâ atque studio in ea verifandum, intelligitur, ut mens sibi identidem (gg) notior, eademque ad dextrè cogitandum, ratiocinandumque instructior reddatur. IV. Cum, qui definitiones rerum exactas callet, is eo ipso distincta earum cognitione se pollere, ostendat, atque illæ sint demonstrationum fundamenta, Philosophi inprimis esse, intelligitur, ut solidam rerum tractationem à definitionibus repetat, si minus realibus, at nominalibus quidem certe. Pater vero hinc etiam, cur Recentiores post doctrinam de ideis immediate agant de definitionibus; cum definitio nihil aliud sit, quam cognitio rei clara atque distincta. V. Denique notamus, ideas adæquatas, in rigore acceptas, vix ulli intellectui finito competere, cum vel rerum minimarum singulæ notæ, earumque tum inter se, tum cum rebus aliis, atque toto inprimis universo relationes, atque habitudines capacitatem mentis finitæ omnino superare videantur. (hh)

§. 7.

Denique respectu extensionis ideæ dividuntur in singulares, Universales, particulares, atque indefinitas. Nos præsuppositis earum definitionibus (identidem quippe referentibus)

C 2

(ff) Conf. inprimis illustris BULFINGERUS in Dissertatione de triplici cognitione, *Historica, Philosophica, & Mathematica* §. adde si placet ea, quæ nos passim de hoc argumento in nostris Disputationibus monuimus.

(gg) Videatur M. de CROUSAZ in *Logica* P. I. S. I. c. I.

(hh) Huc pertinet, quod ait GUNDLINGIUS in *Logica* c. II. Sect. II §. 33. *vereor, inquit, ut homini talis nunquam obtigerit idea rei extra intellectum existentis, eoque adequata idea soli Deo sunt propria, quippe qui omnibus rebus à se conditis aliquid infiniti impressit.* Conf. & B. D. HOFFMANN in *disp. de Eodem & Diverso* §.

petendum, hæc paginas observationibus primariò destinatas esse) sequentia breviter annotamus. I. Singularia, cum non secundum aliquam sui partem, neque adeo cum restrictione aliqua sumantur, universalibus æquipollent. II. Quæcunque existunt, singularia sunt; quippe omnimodis suis determinationibus (ii) vestita. III. Unde consequitur tertiò, Universalia, ut talia, non existere; ut adeo frustra fuerint Scholastici veteres, & qui, hodiernum illorum vestigia premunt, qui quæstionem hæc, per se facilem & planam, tot spinis atque tricis involutam repræsentarunt, & in his sæpe magis de vocibus, quam de re ipsa disputare, visi sunt. IV. Licet universalia ut talia non existant, tamen idearum Universalium maximus est usus, cum eæ extendendis intellectus viribus (kk) plurimùm inserviant, atque iis imprimis tanquam fulcris definitiones atque demonstrationes rerum innitantur. V. Licet universalia sub se plura complectantur, tamen non desinunt propterea esse simplicia; imò eò simpliciora erunt, (ll) quò magis universalia; quò enim pluribus sunt determinationibus libera, eò propius ad naturam simplicium accedunt, eoque sunt ad recipiendum plurium complexum aptiora. IV. Ideæ, quemadmodum & propositiones indefinitæ num universalibus accensendæ sint, an verò particularibus, id ex materiæ substratæ aliarumque circumstantiarum rationibus (mm) dijudicandum putamus.


(ii) Conf. Celeb. WOLFII Log. c. I. §. 27.

(kk) Conf. laudati WOLFII Log. c. I. §. 29.

(ll) Vid. ead. Log. c. I. §. 28. addatur Disp. nostra de investigatione studii Metaphysic.

(mm) Vid. Author Artis cogitandi P. II. c. 12.

FINIS.



Tübingen, Diss., 1732-35



TA → OL Nr 1 + 18 Stück verknüpft





8,
CONTINUATIO
DOCTRINÆ
DE
IDEIS
SUCCINCTIS QUIBUSDAM
OBSERVATIONIBUS ILLU-
STRATÆ

Sub
V. i. N. i. o

1735, 4.

78

1551
QUAM
PRÆSIDE
DANIELE MAICHELIO
SS. THEOL. DOCTORE & PROF. EXTR. PHILO-
SOPHIÆ PRIMÆ & RATION. ORDINARIO
FACULT. PHILOS. h. t. DECANO

PRO GRADU MAGISTERII LEGITIME
OBTINENDO

Die XXX. Julii Anno MDCCXXXV.
horis pomeridianis

IN
AUDITORIO PHILOSOPHICO
ÆSTIVO

publice ventilabit

JOH. CHRISTOPHORUS MUTH, Vayhingensis.
Mag. Philof. Candidatus.

Literis **JOH. HENR. PHIL. SCHRAMMII.**

